

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

XCIV. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Sectione Et Felici Ceratione Calculi Vesicae Exulceratae Adherentis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

X C I V.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
SECTIONE ET FELICI CERATIONE
CALCULI VESICÆ EXULCERATÆ
ADHERENTIS.

Quam Præside

HERM. FRIDER. TEICHMEYERO.

Tuebatur

PAULUS PHILIP. SCHELER,
CORBUGENSIS.

Jenæ 9. May anno 1738.

Tom. IV.

E



XCI

DISSERTATIO
MEDICINA CHIRURGICA

DE

SECTIONIBUS ET INDICIBUS
CALCULI VESICAE EXUENTIS
ADHERENTIS

Ab Auctore

HERRM. FRIDER. TEICHMEYER.

Probatum

PAULUS PHILIP. SCHILLER.

COELENIS

1782

F

1782



C A S U S.

Puer quidam, Ianionis filius, qui octavum una cum noni dimidio impleverat annum, sæpenumero urinæ difficultate, stranguria, dysuria & ischuria laboravit; & quidem ita, ut mala hæc eundem per quatuor annorum spatium satis superque vexarent.

Sub initium ægrotus equidem, morbo interdum increfcente, interdum decrefcente, mox lecto se committere, mox vero per septimanam ambulare & sine molestia scholam visitare potuit; at præterita ætate, haud interrupto ordine, in lecto decumbens cruciatus perpeti tremendos fuit coactus, adeo, ut appetitu prostrato, viribusque imminutis totum ferme corpus, inter ejulatus, per dies noctesque miserrime continuatos, contabuerit.

Causa & origo, a qua omnia hæc mala trahebant ortum, erat calculus qui, semper vesicæ collum obstruens, urinæ impediabat egressum. Et cum puer mingens eundem dextra manu e loco & sursum dimovere annitetur, acris & corrosiva urina effluens totam manus volam erodendo excoriavit, ut digitorum contractura prope fuerit subsecuta.

Parentes, quibus filioli sanitas curæ cordique erat, mœstissimi *Illustræm Præsidem* vocabant in consilium, qui, digitum, probe oleo inunctum, in anum immittens facillime persentiscebatur, calculum non infimæ esse magnitudinis.

Re ita se habente, Parentes *Præsidem* flebili nervosaque oratione rogabant, ut cum filiolo, vitæ periculo exposito, institueret operationem, & licet *vir experientissimus* omnia fata, quæ lithotomiam comitari solent, ante oculos poneret candidissime, inhærebant tamen petito constantissimi.

Postquam animo parentum itaque fixa immotaque maneret operatio, electum a *magnifico Præsidente* tempus consuetum, autumnale, & invocato Numine divino ardentius, sequentem in modum operatio fuit peracta felicissime.

Arrisit scilicet operatio, quæ vocatur *minoris apparatus*, & quidem ex hac potissimum ratione, quia præputium inflammatum erat, mentulaque intumescebat.

Puer die IX. Octobr. hora nona a Chirurgo, viro cordato atque animoso, duobusque medicinæ studiosis, haud timidus, firmis tenebatur manibus. Ille puerum pulvinari, lana tecto, cubantem, habebat in sinu, sub sella, qua in chirurgus sedem fixerat, vas erat positum, aqua repletum tepida; *Præses* vero *illustris* sella parva humilique sedens supinus e regione fenestriæ, clara sub luce, in dorsum ejusdem per fenestram cadente, re ita bene constituta, caute, riteque sectioni sese accingebat.

Præter hæc, ad manus erant studiosi duo, qui instrumenta ad operationem,



tionem necessaria, e patina porrigerent *Præsidi*, qui marsupio, alias in hac operatione consueto, cinctus hunc actum perficere volebat.

Cum manus pedesque pueri, in situ apprime convenienti constituti, tenerentur adeo, ut, ossibus sat explicatis, & cruribus sufficienter deductis scrotoque a studioso bene servato, vix ac ne vix quidem se movere valeret, *Præses* successive immittebat duos digitos manus sinistrae priores, indicem scilicet & medium, oleo illinitis, in pueri anum, quoad licebat, & prehensens his duobus digitis calculum, annitebatur studiose, ut eundem e loco dimotum versus perinæum lateris sinistri antrorsum premeret, eo quidem consilio, ut, ibi protuberantia facta, calculus eo melius felicisque possit tangi lithotomo atque secari.

Sed, proh dolor! cum *Præses Excellentissimus* calculum priorum premeret, omnes adstantes per urethram materiam exire purulentam videbant, nec poterat fieri, ut calculus priorum penitus protruderetur. Exinde augurabatur vesicam, propter temporis longitudinem doloresque pueri prægrandes, exulceratam, & calculum vesicæ adhærescere.

Hæ circumstantiæ, quæ mali quid præfigere videbantur, concitabant in *Præsidis* animo moerorem, cum timore conjunctum, ne operatio hæc vota sua parentumque falleret.

Sed cum divino adjutus auxilio, dextræ manus digito calculi præsentiam persentisceret in perinæo, licet, ob adhætionem cum vesica, nulla protuberantia hic apparere poterat, deploratis ferme vulneribus manum admovebat, plenusque bonæ spei, secando calculum petens, cultri acumine eundem attingebat, & eo ipso aperturam a parte superiori calculi versus anum in perinæo faciebat, ea magnitudine, quæ ad calculum extrahendum videbatur sufficiens.

Facta hac incisione, cultroque, qui tradiderat studioso, reddito, *Præses* se coactum ratiocinabatur per vulnus transire in vesicam dextræ manus indice, eo fine, ut partim de calculi magnitudine, partim de ejusdem cum vesica cohæsiōne redderetur certior. Satis de utroque informatus, leni quidem sufficienti tamen pressione dissolvebat concretionem calculi cum vesica felicissime, alit magnitudine ejus vulneris os superante, res nondum erat expedita.

Cultro hinc repetito, alteraque incisione versus anum priori cautius addita, pertentabat volsella in vulnus intrare, sed conatu frustraneo.

Quapropter forcipe hoc parvo reddito, dextræ manus indice calculi, e loco dimoti, longitudinem in duos sinistrae manus digitos, qui erant in ano, leni mittebat pressione, unculoque arripiens eundem, trahebat ad vulneris os, auxilio digitorum in ano, ut, Deo adjuvante, transiens per vulnus in femoralia *Præsidis*, & exinde caderet in terram.

Re tam ardua ad votum peracta, preces fundebantur ad Deum, qui actui huic benedixerat benignissime. Puer vero, qui inter ejulatus vociferatus erat antea: *moriendum mihi est, me vita privatis*, ex summa cordis anxietate liberatus

beratus

beratus quiete blandaque voce rogabat, ut calculus ille, causa tantorum dolorum, ipsi poneretur ante oculos, cujus & satisfiebat petito.

Cæterum *Magnificus Præses* operationem eligebat lateralem; quippe studio calculum ab orificio vesicæ ad sinistrum latus ad protuberantiam ossis ischii prænebat, ut plaga in angulo, quo in muscoli erectores & transversales, se invicem ferme attingendo concurrunt, indigeretur, eo quidem consilio, ut omnes rami vasorum majores, arteriæ hæmorrhoidalis externæ & arteriæ pudendæ illæsi servarentur. Capite idcirco gallinaceo, bulbo urethræ, sphinctere vesicæ, vasis deferentibus atque vesicis seminalibus integris manentibus, in vesica nihil læsum, quam ipsum corpus prope sphincterem, imo, si quid fuerit tactum, nihil aliud, quam exiguum quid de corpore prostatae hujus lateris fuit læsum.

Caute ita ad finem perducta sectione, vulnus parum profundebat sanguinis, nec post operationem hæmorrhagia, nec dolor, nec tumor, nec inflammatio insequeretur; præsertim cum calculus, nesciens *Præses*, an angulosus, prorsum digitis ita pressus esset, ne corpus vesicæ contunderetur, fugillaretur, sicque ad inflammationem disponderetur.

Hac ex re fiebat, ut puer, post operationem de nullo conquestus dolore, semper quietus liberque fuerit ab omni adversitate; quippe cum omnia, uti jam ante monitum, præter integumenta communia, musculos perinæi, corpus cellulosum, vesicam ambiens, & vesicam ipsam, & ramos vasorum parvulos dissectos, illæsa integraque fuerint conservata, nihil contusum nilque per dilatationem fuit dilaceratum.

Nullum certe dubium est, quin exitus materiæ purulentæ per urethram ante operationem Præsidi injecerit pavorem haud exiguum, in operatione ipsa per nexum calculi cum vesica admodum adauctum; præsertim cum eundem digitis, patientia summaque cautione adhibita, premens a vesica dissolvere cogeretur, ex quo post operationem gangrænæ & sphacelus oriri potuisset facillime, ut per vulnus inflictum puer animam profudisset certo certius; sed, Deo sit honos, omnia ex voto processerunt.

Calculo itaque extracto, vesicaque digito rite explorata, nihiloque damnosi ultro reperto, puer lecto committebatur calido.

Ante operationem circularis, & cum ea conjuncta cruciata inguinalis fascia jamjam circa corpus, eo consilio probe firmatæ erant, ut omnis jactatio & commotio vulneris, ejusmodi ægrotis maxime nociva, pro viribus prohiberentur.

Decumbens in lecto puer illico deligabatur, plumaceolo in vulnus, vitello ovi recenti illito, immisso, & superimpositis duobus spleniolis ex linteaminibus mollioribus, quæ cruciata inguinali fascia permuniebantur, & cum scapulari jungebantur.

Cannula, quæ alias in vulnus indi solet, omittebatur studio, tanquam inutilis, imo nociva.

Abdomen, scrotum & mentula inungebantur oleo rosato calido; in ab-



domine & perinæo supra fascias sacculis nervinis, calidis, vino decoctis illico applicatis.

Tres horæ erant præterlapsæ, cum ante operationem pueri alvum clystere eluere *Præses* mandaverat; sed, cum idem non penitus ad colon penetraverat intestinum, ventrem hora undecima exonerabat, absque tenefmo & dolore, quo fiebat, ut de novo suscipienda esset deligatio.

Hora secunda, deligatione reiterata, sanguis & urina fetidi odoris reperiatur in splenis. Hora septima iterum deponebat alvum, feces ipsæ erant fluidæ, & evacuatio peragebatur absque conatibus fortioribus.

Nocte durante non fuit deligatus puer, quiete dormiens; fetus tamen, e somno excitato, impositi fuerunt tepidi.

Deligatio in prioribus quinque diebus quatuor fiebat regulariter vicibus, hora sc. septima ante, hora undecima circa, hora quarta post meridiem, & hora decima nocturna, eodemque tempore simul interna puero fuerunt suppeditata remedia.

In his vero quinque diebus medicinæ studiosi & chirurgi per dies noctesque egerunt vigilias, ut, necessitate urgente, vel alvo deposita, deligaretur, varii casus, qui evenire potuissent, observarentur, & omnis inflammationis dolor cum putrefactione declinaretur a vulnere; quæ vigilie usque ad diem decimum quartum fuerunt continuatæ.

Deligatio vero a die decimo usque ad diem Octobris vigesimum quintum sequenti modo fuit peracta.

Primis, quatuor scilicet diebus, plumaceola cum vitello ovi recenti applicata sunt, dein vitello ovi cum melle rosarum mixto usque ad diem nonum, posthæc electuario diascordio fracaistorii, pulvere myrrhæ, aloes & radicis aristolochiæ addito, tandem vitello ovi & melle rosato, pulvere colophonii adjecto, cura omnis ad finem perducta fuit exoptatum.

Præter hæc, ultimis diebus, sex nempe ante curationem perfectam, impositum quoque fuit emplastrum ad rupturam præcavendam, & ut vulnus, eo arctius coeundo, sine cicatrice sanaretur notabili.

Die decima Oct. circa matutinum tempus initia sumebantur, in qualibet deligatione inspergendi liquorem siphunculo metallico mediocri, qui gaudebat fistula, vel canali, eburnea, cujus extremitas rotunda & globi instar constructa erat, ne, vesicam urinariam attingendo, damni quid adferret.

Injectio hæcce sanguinem, pus & residuas urinæ exprimens impuritates, curationi vesicæ serviens, omnes casus adversos ab ægroto redimens, tanquam epuloticum mucilaginosum levabat dolores eximie.

Et si post injectionem injecta resluerent, plumaceola & splenia applicata, cruciata inguinali munita, corpus inunctum, & semper duo fetus tepidi, unus in perinæo, alter in abdomine, probe expressi superimpositi, & sic scrotum cum mentula fuit coopertum.

Die Octobris undecima iterum ægrotus sine molestia exoneravit, fecibus

bus fluidis, ventrem, postquam noctem consumserat tranquille. Et eodem die, tertio scilicet post operationem vulnus jamjam ultra dimidium in cicatricem convenerat, ita, ut illi, qui ante idem oculis conspexerant, vix induci poterant ad credendum, per hoc vulneris os transisse calculum tantæ magnitudinis, qui madidus fibrillisque tunicarum adhuc inclusus, parum aberat, ad duarum unciarum accedebat gravitatem.

Hoc ipso die, cum injectio fieret, materia purulenta copiosa, bene tamen cocta, e vulnere profuebat, cujus & partem in urethræ bulbum transisse, querelæ ægroti de doloribus in mentula satis superque testabantur; quæ ut e medio tolleretur, siphunculo eburneo, liquore impleto, eiuere urethram *Præses* satius arbitrabatur, quod puero quidem magnos creabat dolores, licet præputii & mentulæ inflammatio, quæ in die operationis satis luculenter, prope crystallinam formans vesiculam, apparebat, imminuta erat.

Materia hæc purulenta, quæ per vulnus ex vesica proveniebat, odoris erat volatilis, urinosi & foetidi; ægrotus tamen quiete dormiebat, nec febris vestigia se offerebant, cibum capiebat, cum ante operationem stomachus existeret obtusus, aviditate etiam ad solida incitatus, quæ tamen iusculis & decocto hordei cum C. C. Scorzonera tantum, solidis abstinendo, saturari debebat.

Die octobris duodecimo rubedo quædam, stipulæ latitudinem implens, totum ambiabat vulnus circa labia; tumor vero, cum hac inflammatione conjunctus, erat circa vulnus exiguus, & tumor scroti & mentulæ cum urethræ dolore in bulbo cessarant. Ex ore autem vulneris propendebat corpus quoddam tunicatum, solidum, longitudinis dimidii digiti, quæ pars tunicæ internæ vesicæ, in qua calculus delituerat, se ab ipsa vesica separans exitum tentabat.

Die decima corpus hocce a vesica divulsam adhærescebat plumaceolo, coctæ in aqua, & post hæc digitis probe examinato, observatum fuit, illud revera fuisse corpus tunicatum ex fibris conflatum; id quod signum certissimæ spei erat, consolidationis vulneris initium fieri in vesica.

Die decima quarta rubedo vulneris illa evanescebat, imo & tumor in perinæo, scroto, & mentula penitus, nec dolor aderat in vesica, ast signa febris purpuræ, quæ etiam per totum corpus, sine inflammatione tamen vulneris erumpere, apparebant.

Purpura hæc, somno appetituque tantisper imminuto, durabat per quinque dies, & cessabat exsiccando, cum proventu materiæ, ex vesica propullulantis, purulentæ.

Die post operationem decima quarta, vel vigesima tertia Octobris puer iterum mingere incipiebat per urethram, ad aliquot guttulas, quæ evacuatio sensim sensimque capiebat incrementa, manifesto indicio, vulneris vesicæ inflicti glutinationem successive fuisse factam.

Die vigesima quinta vulnus in perinæo penitus duxerat cicatricem, nec aderat

aderat urinæ incontinentia, & licet urina ipsa pallida, & materia cretacea juncta esset, quod per mensem durabat, post hæc tamen in naturalem, per medicamenta convenientia fuit mutata, adeo, ut puer ad desideria parentum sanitati restitutus evaserit.

C A S U S

Præcedentis evolutio.

Calculus est terrea atque salina concretio, quæ in corpore humano & animalium præternaturaliter contingit, & in omnibus fere partibus reperitur.

Quando hic in ægrotantibus generatur, apparere solet sæpius, tanquam signum indicans, stranguria, sive urinæ ardor, qui plerumque ab acido superfluo aluminoso, in urina existente, ducit originem. Urina enim, quæ, durante stranguria, guttatim & cum ardore evacuatur, degustata acidum & aluminosum saporem prodit.

Planum ideo est, calculum omnem ex acido, maxime aluminoso, in quo terra continetur calcaria, & viscido tartareo generari.

Acida vero omnia, quo pertinet vinum, acetum, caseus &c. ad calculorum genesis ansam præbere aptissimam, non observationes solum testantur satis superque, sed & experimenta idem confirmant. Albumen enim ovi ab acido minerali, in specie aluminoso vel vitriolico illico solet coagulari, atque deinceps ad calculi formam solidescere.

Locus, in quo calculi generantur, sunt fere omnes corporis partes. Quippe inveniuntur in renibus, præsertim in corporibus renum mammillaribus eorumque tubulis; in vesica tum urinaria tum fellea; in articulis sub forma tophacea, & in pulmonibus, unde tussis calculosa; qualem *Illustris Præses* vidisse asseverat.

Ut paulo firmiter assertum hoc suffulciam, non possum non hic proferre, me oculis observasse in anatomiis, novissime a *D. Præsede* susceptis, calculos generatos arenosos in glandula pineali in uno subjecto, in altero calculum in glandulis nigris pulmonum circa cor & oesophagum sitis. Antè quinquennium in cadavere, ab *Excell. Præsede* dissecto, calculos in vesicula fellea, solidioris quidem substantiæ, qui tamen, ad candelæ ignem admoti ad instar cere liquecebant, ob oleum viride sebaceum admixtum, repertos esse memini. Et præter hæc calculos quoque vidi articularum tophaceos, quia synovia, quæ quoad substantiam, viscositatem & pelluciditatem cum albumine ovi convenit, & in anatomiis publicis in articulis humanis a *D. Præsede* collecta est, ab affuso acido illico albescit & coagulatur, imo tandem notabilem soliditatem, fere cum calculorum forma convenientem, induit.

Cum

Cum vero omnia corpuscula, massam sanguineam constituentia, haud secus, ac corpuscula mundana multis modis inter se differant, aliter fieri non potest, quin in uno subjecto calculi diversi coloris, diversæque soliditatis; in altero topi; in aliis scirrhi, sarcomata, steomata, melicerides, in aliis polypi generentur diversi.

Observationes, quas hac hieme in tribus anatomis, a *D. Præside* peractis, collegi, idem extra controversiæ aleam constituunt. Etenim polypos tres albos in infantis trium annorum sinu falcato & quidem singulos in singulo loco; polypum album, in puellæ sedecim annorum vena cava asurgente hærentem, & quidem eo in loco, quo hepar jungitur cum diaphragmate; & denique in viro triginta annorum observavi polypos veros, solidos, albos, tendinosæ fere substantiæ, magnos in utroque cordis ventriculo, duos exiguos in sinistro, tresque majores in dextro. Et ex hisce observationibus *Baglivii* iudicium, polypos scilicet successive crescere ex sanguinis lanugine & fibrillis, confirmari, contraria vero ex parte *Kerckringii* sententia, qua, polypos in articulo mortis fieri, asserit, contradici posse cuilibet rei gnaro patescit. Polypi *Kerckringiani* nihil aliud sunt, quam sanguis congruatus, *Bagliviani* autem albi, tunicati, tendinosi atque fibrillosi.

Calculus, vias obstruendo urinarias, dysuriæ, sive urinæ difficultati & ischuriæ, id est, mictioni plane denegatæ ortum præbet; & perinde esse videtur, sive obstructio fiat in pelvi & infundibulo, (quod nunc simplex, nunc duplex, nunc triplex, imo & quadruplex in hominibus deprehendi innotuit mihi ex anatomis, a *D. Præside* institutis) sive in ureteribus, sive in sphinctere vesicæ, sive in ipsa urethra.

Si calculus, vesicæ collum obstruens, digitorum ægrotantis pressione removetur, permittitur quidem urinæ evacuatio, ast magno cum dolore & ardore fieri solet; urina enim per moram acrior reddita partes læsit internas, quod & ipse calculus sua efficit inæqualitate.

Cruciatu, qui ex calculo oriuntur, vires imminuunt, somnum turbant, & actiones omnes ad vitam necessarias e medio tollunt; ex quo fit, ut ægrotantes languentes contabescant.

Ut præsentia calculi & in vesica existentia exacte dignoscatur, exploratio caute instituenda est, quæ vel per catheterem, vel per digitum, in anum immissum, fieri solet.

Hæc, quæ digito scilicet peragitur, anteponenda omnino venit illi, quæ cathetere instituitur. Neque enim tantam molestiam periculumque creat, quam hæc, multoque certior est vesicæ exploratio per digitum, cum vesica, intestino recto superimposita, cum hoc immediatam habeat connexionem.

Catheteris præterea applicatio exercitatissimum exposcit chirurgum, cum maxime dolorosa sit, urethram lædat, vulneret atque inflammet facillime,



uti catheterismi difficultates celever. *Meibomius* diff. de *Catheterismo*, Helmstadii habita, posuit ante oculos.

Ceterum minime negamus, & varia laudari remedia lithontriptica, quibus egregiæ adscribuntur virtutes, ut *radix pareira brava*, ejusque decoctum; infusum theeiforme herbæ *Acnella Zeilanica*, & celever. *Hanckwizii*, Londinensis, remedium temperatum, ex phosphoro præparatum. Hoc enim in vesicam, mediante syringa, immissum, vim possidere successive dissolvendi calculum absque injuria vesicæ dicitur.

Præter hæc notissimus ille chemicus, *Dippelius*, præparavit remedium ex olei vitrioli albi parte una & spiritus vini rectificatissimi partibus octo, quæ bina guttatim inter se mixta, digestaque tandem in certa dosi, v. g. ad guttas IV. VI. VIII. propinantur. Methodum hanc, imo ipsum remedium videtis in erudita dissertatione *D. Grabergii*, 1734. Halæ sub præsidio celever. *Schulzii* habita.

Referat huc quoque, cui libet, ignotum adhuc illud remedium; de quo in litteris publicis Lipsiensibus novissime relatum legimus: *Es wird versichert, daß das Parlament die Sache der Jungfer Stephens ehestens in Erwägung ziehen werde, deren Arznei wegen ihrer Kraft in der Zermalmung des Steins in der Blase so bewährt befunden wird. Sie verlangt eine Belohnung vom Parlament, um ihr Geheimnis öffentlich bekannt zu machen.* Londini die 31. Martii.

Nolumus prolixius investigare problema illud: *an dentur medicamenta, quæ calculum in vesica comminuant?* In medio relicturi, in quantum *D. Grabergii* sententiæ affirmativæ, in dissertatione allegata productæ, albus adjiciendus sit calculus.

Neque animus fert jamjam remedia illa antea prolata ad lapidem lydium revocare, eorumdemque vires & effectus altius repetere; sat erit dixisse: calculum in vesica ad soliditatem accretum vix ac ne vix quidem per remedia posse dissolvi. Et præter hæc nobis in hac nostra dissertatione non sermo est, de calculi per remedia comminutione ejusdemque expulsiōne, sed de sectione.

Tempora vero, in quibus sectio institui moris est, sunt duplicia, unum scilicet necessitatis; alterum vero electionis. Necessitate, tanquam duro telo, non urgente, tempus eligendum est æquinoctiale. Cum enim aer, nocivis refertus effluviis, vulnera ulceraque corrumpere solet; illud æquinoctiale omnibus, tanquam neque nimis calidum, neque nimis frigidum, sed temperatum est anteferendum.

Methodos, quod attinet, calculum secandi atque extrahendi, earumdem varietate fuerunt excogitatæ. Prima & antiquissima est *Celsistica*, vel, uti & adpellare moris est, minoris apparatus. Altera *Mariana*, sive majoris apparatus, quæ primum catheterem solidum, in convexa parte sulcatum, vocavit in usum. Tertia *Franconica*, sive, quod idem est, operatio alta, in qua incisio fit supra os pubis in musculis pyramidalibus & vesica in corpore

pore aperitur. Quartam fratris *Jacobi de Beaulieu*, sive lateralem emendavit *Ravins & Cheseldenius*. Novissima est *Foubertiana*, quæ super acu triquetra sulcata instituitur. Hanc, *Foubertianam* scilicet methodum, satis accurate, imo eruditè proposuit *Job. Henricus Kesselring*, Prussus, in dissertatione solempni, Halæ 1738. mense Septembri habita, in qua & sententiæ omnium scriptorum, tam veterum, quam recentiorum, qui de lithotomia egerunt, inveniuntur, quasi in nucleo, imo & perarduæ hujus artis probe consignata historia.

Illustris Præses sectionem aliis prætulit lateralem & minoris adparatus; hac enim methodo neque vesicæ sphincter, neque urethræ bulbus, nec muscoli acceleratores, nec prostatae, nec vesiculæ vulneratæ fuerunt feminales. Præter hæc ob præputii mentulæque inflammationem catheterem adplicare non poterat.

Si autem in sectione calculi muscoli acceleratores, urethræ bulbus & vesicæ sphincter, minus caute agendo, læduntur, in ejusdemque extractione organa hæc nimis dilatata dilacerantur, nec denuo conjuncta rite coalescunt, nec debitum obtinent robur; sed plerumque ansam præbent dolendam incontinentiæ urinæ sive involuntario hujus stillicidio.

Vulneratio prostaticarum & vesicularum feminalium in homine fons atque origo est impotentiae.

Lateralis operatio, quæ hæcce gravissima symptomata, tanquam operationis funestæ reliquias, evitat circumspicte, sectionem instituit in latere sinistro ad latus inter musculum acceleratorem & erectorem, vel illo in loco, in quo musculus transversalis angulum facit cum erectore.

Cumque in perinæo area quasi formetur triangularis, dum unum latus constituit musculus accelerator, secundum erectorem & tertium transversalis, in medio & centro quasi hujus areæ punctum sectionis observandum est; quo modo nihil fere, præter integumenta communia & post hæc vesicæ corpus patitur vulnerationem. Contraria ex parte arteriæ pudendæ, & hæmorrhoidales, exceptis ramis minoribus, integræ conservantur, adeo, ut nulla hæmorrhagia oriri possit notabilis, id quod sectio, a Dno *Præside* tam caute peracta, dum exigua sanguinis quantitas exstillaverit, omnibus satis clare demonstravit præsentibus.

Si vero pudendæ arteriæ vulnus infligitur, facile evenire potest, ut lethalis hæmorrhagia, nec per ligaturam sistenda, exoriatur, quæ aut ægrotum morti succumbere illico cogit, confirmante id laudato *Kesselringio* §. 6. & 45. aut ad minimum mirum in modum ipsa interturbatur operatio.

Subiectum primarium, aperiendo vulnerandum, est vesica urinaria, tanquam organon, in quo calculus, per vesicæ vulnus, mediantibus instrumentis, extrahendus, desitescit.

Vesica est musculus excavatus, situs in pelvi, quæ ab ossibus pubis ischii, illi, sacro & coccygis formatur.



Dividi solet vesica in corpus, quod pyriforme, & in fundo latum planumque est, in fundum, in quo urachus, & cervicem sive collum.

Componitur corpus hocce musculosum ex tribus musculis, (1) *externo* scilicet, qui urinæ detrusor adpellatur, cujusque fibræ diversam occupant directionem, (hunc magnus *Eustachius* agnovit depinxitque tabula 12. figur. 7.) (2) *interno*, qui construitur ex fibris longitudinalibus, a fundo versus collum tendentibus, quarum fibrarum una extremitas ad collum, altera ad fundum dirigitur, ubi omnes concurrunt in centro illo, quod ab uracho vel a ligamento vesicæ rotundo formatur; (3) *circulari*, in collo situs, sphincter dictus, quo mediante vesicæ clauditur orificium.

Vesica vero aperitur circa fundum in operatione alta, vel in sphinctere in apparatu magno, vel lateraliter in corpore ipso, quando videlicet operatio fratris *Jacobi*, *Raviana*, *Ceseldeniana* & *Foubertiana* suscipitur.

Olim a majoribus nostris vulnera vesicæ inflicta inter absolute lethalia referebantur, & ex hac re factum est, ut medicis calculi sectionem interdixerit *Hippocrates*, qui, maximam hominum partem ex ejusmodi operatione periculosa interire, sibi persuasit inconsiderate.

Cum enim ejusmodi periculum, imo hominum sectorum interitus dubio procul ex principiorum anatomicorum ignorantia, atque improvida chirurgorum sectione ortum traxerit, nostris temporibus, in quibus medici penitus callent artem anatomicam circumspiciusque agunt, lithotomia non semper lethalia symptomata habet comites, sed, uti experientia testis est omni exceptione major, ad exoptatum finem perducitur sæpissime.

Casus noster, quem proposuimus, eo magis meretur annotari atque medicorum judicio offerri, quo periculosiores eundem quasi circumdederunt circumstantiæ. Non enim solum calculi adhæsiō vesicæ, & hujus præsens ante susceptam operationem suppuratio, sed & præputii mentulæque aliqualis inflammatio sectionem reddere poterant difficillimam; eandemque defraudare effectu exoptato.

Calculi cum vesica coherescentia, quæ exinde oriri solet, quando nimirum major calculus, ad vesicæ collum descendens, frictione sua internam vesicæ superficiem vulnerat, fibræ inerescentes ipsum calculum successive ambiunt eumque cum vesica connectunt, omnino non minimas creat molestias, & lithotomi patientiam postulat. Si enim chirurgus non didicit provide & circumspicere calculum a lamina interioris vesicæ divellere, facile evenire potest, ut ingens dilaceratio & post hanc lethalis exoriatur inflammatio. Legi omnino meretur de hacce materia, *calculo scilicet vesicæ adhærescente* erudita disertatio D. D. *Tillingii*, sub moderamine *Illustris Paltneri*, Lipsiæ 1737. habita.

Exulceratæ vesicæ fatis manifestum erat indicium materia purulenta vera, ex meatu urinario eo tempore, quo Dnus *Præses* digitis in ano calculum àntrosum premere annitebatur, prorumpens; cujus puris & tertio inprimis post sectionem die ingens propullulabat quantitas. Natam hanc exulcerationem

nem

nem esse auguramur a moleſtia, doloribus & ſubſequentibus veſicæ inflammationibus.

Quantum periculi accidens hocce efficiat, non multo verborum apparatu jamjam deſcribere animus fert, ſed ſatis dixiſſe arbitramur, quod ſcilicet omnes lithotomi uno ore confiteantur, ſuppuratam veſicam ſectam facile gangrænâ & ſphacelum creare poſſe, & ſic mortis præcurſorem exiſtere. Sed & hic triſtiſſimus eventus ex Dei miſericordia fuit per laborem noſtrum indefeſſum declinatus.

Si itaque ſectio ipſa perinæ & veſicæ ſine hæmorrhagia lethali peracta, & calculi extractio ſine vulneris nimia dilatatione partiumque interinarum læſione & dilaceratione ad finem perducta fuit hilarem, medicus & chirurgus de vulnerati curatione anxie ſolliciti eſſe debent.

Curæ hujus ſatis neceſſariæ nullam plane habuit curam frater *Jacobus*, ſed ſat feciſſe ſibi perſuaſit, dicens: *Ja que te taille, le bon Dieu te guériffe.* *Der Bruder Jacob hat dich geſchnitten, der liebe Gott heile dich.*

Cura vero abſolvitur (1) regimine diætetico exacto; (2) convenienti deligatione, & (3) adplicatione remediorum convenientium internoſam, quæ febrim vulnerariam & inflammationem gangrænofam ſphaceloſamque depellendi vim habent.

Regimen diæteticum quod concernit, noſter ægrotus (1) in aère temperato & ab omnibus nocivis effluviis vacuo, & quidem in lecto molli tepido, medium hypocausti occupante, & ſic a feneltris & fornace remoto, conſervatus fuit; (2) Cibi, quibus uſus fuit, erant juſcula nunc avenacea, hordeacea, miliacea, nunc mucilaginofa alia, pauco ſale & aromate condita, una cum pane triticeo; item juſcula gallinacea, carnis bubulæ cum vitello ovi. Potus vero decoctum tepidum ſequens, ꝑ. raſuræ cornu cervi unciam ſemis, radicum Scorzonæræ, Bardanæ, Cichorii ana drachmas tres, hordei mundati, avenæ mundatæ ana drachmas 2. Miſce.

De hiſce cum aqua fontana paratum eſt decoctum, cui intra bulliendum, de ſtavedine corticum citri recentium ad gratiam quid fuit additum; & poſt hæc percolatum fuit brodium, illudque conſervatum in loco frigido vocavit ægrotus in uſum potus ordinarii.

In lecto ab adſtantibus ſemper vigili cura ad quietem admonitus fuit, ne per motum membrorum, pedum in ſpecie, vulnus, perinæo inſiſtum, agitetur; & ex hæc quoque cauſa ſomnum omni modo promovendi dedimus operam, quo omnes triſtes effectus eo ſollicitius evitentur.

Interna reſpiciendo noſter ægrotus habitus fuit pro graviter vulnerato, mixturaque traumatica, bezoardica, & anodyna vocata fuit in uſum ſequens: ꝑ. tincturæ bezoardicæ Wedelii drachmas duas, eſſentiæ traumaticæ ejuſdem drachmam unam, liquoris anodynæ mineralis dulcis drachmam ſemis. De hiſce mixtis datæ fuerunt matutino tempore hora



scilicet septima, & hora post meridiem quarta guttæ XX. vel cum infuso herbæ Theæ, vel consueto decocto.

Vespertino tempore circa horam nonam vel decimam, & matutino hora decima vel undecima pulverem sumebat ægrotus hunc: ꝑ. pulveris bezoardici Teichmeyerii scrupulos duos, epileptici marchionum scrupulum unum, theriacæ coelestis granum unum. Mixtura hujus pulveris inferviebat pro sex dosibus.

Species pro decocto cum vino, quæ sub faculorum forma adplicatæ fuerunt, sequentis erant compositionis. ꝑ. herbæ agrimonix, betonicæ, roris marini, melissæ, origani, serpilli, florum lavendulæ, chamomillæ rom. ana manipulos duos.

Liquor, qui cum siphunculo injectus fuit, omni tempore, quo deligatio instituebatur, sequentis erat compositionis: ꝑ. aquæ rosarum, plantaginis, calcatrippæ ana unciam unam, fiat cum sufficiente quantitate feminis cydoniorum & plantaginis mucilago, adde mellis rosarum unciam unam, elixirii proprietatis sine acido drachmas duas.

Cum hoc liquore mucilaginoso epulotico atque balsamico mundificata sunt vulnera ulceraque, partim a vesicæ sectione nata, partim a calculi separatione, partim ante sectionem jam jam existentia.

Ad mundificandam urethram, in cujus bulbum intraverat materia purulenta, molestiasque cum doloribus excitaverat, sequens adplicatum fuit decoctum, quod, per syringam immissum, viam hanc a purulenta materia, periculosissimo ac molestissimo hospite, liberavit: R. herbæ agrimonix, alchimillæ, plantaginis, scordii, aristolochiæ ana manipulum semis, coque cum s. q. aquæ fontanæ colaturæ, adde mellis rosarum unciam unam, elixirii proprietatis sine acido drachmas duas.

Primis post sectionem diebus, uti in historia casus enarrata annotatum, sufficiens erat pro deligando vulnere vitellus ovi recens, tanquam remedium oleoso-mucilaginosum dulce & temperatissimum, cum plumaceolis, tertio, quarto & subsequenter diebus paratum fuit electuarium epuloticum tam ad vulnus perinæi purgandum, quam declinandas molestias, imo symptomata, quæ metuenda erant non ab urina solum, sed & materia purulenta, quæ ex ipsa vesica propullulabat. Constabat vero ex sequenti mixtura: R. Electuarii diafscordii Fracastorii unciam semis, pulveris myrrhæ, aloes succoterinæ ana drachmam semis, pulveris aristolochiæ, scordii ana scrupulos duos, mellis rosarum q. s. ad consistentiam Electuarii.

Hocce Electuarium cum ovi vitello mixtum fuit, & sic divinis auspiciis cura vulneris, a sectione calculi exorti, intra dierum XXV. spatium ad finem perducta fuit exoptatissimum.

X C V.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
INSOLITA CALCULI INGENTIS
PER SCROTUM EXCLUSIONE.

Quam tuebatur

JOH. GUIL. FRID. JAHN,

AVENS. HERMUNDURUS.

Vitembergæ 2 Octobris anno 1750.

